

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Dvmvs.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

40 DIALOG. SACRORVM

recentes. At quam elegans est, quam bene natus? Nonne flagitium est necare tales pueros? *M.* Hic tibi adduco nutricem, domina. *T.* Mulier, tu educabis mihi, & enutries hunc puerum. Ego tibi solvam mercedem. *I.* Faciam.

SEN TENTIA.

Quos Deus servare vult, eos euidem in summa pericula venire patitur, at non perire.

D V M V S. Exodi 3.

ARGVMEN T V M.

Jova in dumo ardente alloquitur Mosen, eumque mittit in Aegyptum ad liberandos Israelitas ex servitute.

Moses, Jova.

Deum immortalem, quid monstri video? dum ita ardenter, ut tamen non consumatur? Libet videre, quid hoc sit rei. *I.* Moses Moses! *M.* Quid est? *I.* Locus hic sacer est, noli accedere huc: detrahe tibi calceos de pedibus. Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abrahami, Deus Isaaci, Deus Jacobi. ^{a)} Vidi angustias populi mei, qui est in Aegypto, gemitum audivi, quem exprimit violentia exactorum operum. Novi labores meorum. Itaque descendit, ut eripiam eos e manibus Aegyptiorum, abducamque ex illa terra, in terram bonam & amplam, abundante lacte, & melle, quam incolunt Cananæi, Hettei, Amorrhœi, Pherezei, Hœvæi, Jebusæi. Et nunc volo mittere te ad Pharaoh.

^{a)} Respicit Deus miseras suorum.



raonem, quo educas populum meum, posteros
Israelis, ex Ægypto. *M.* b) Quis ego sum, ut
adeam Pharaonem, educamque Israelitas ex
Ægypto? *I.* Adero ego tibi, atque hoc signo in-
telliges te esse a me missum. Cum eduxeris eos
ex Ægypto, coletis Deum in hoc monte. *M.*
Age sane, adivero Israelitas, dixero me missum
a Deo patrum ipsorum. Quod est, dicent, no-
men ejus? Hic ego qui respondeam? *I.* Ero,
qui ero. Dices Israelitis: Ero misit me ad vos:
dices, inquam, missum te a c) Jova Deo patrum
ipsorum, Abrahami, Isaaci, & Jacobi: atque hoc
esse nomen meum immortale, quo nomine volo
notus esse in sempiternum. I modo convocatis
que senioribus Israelitis dicio, te a me esse mis-
sum, qui tibi apparuerim, quique statuerim eos re-
spicere liberareque calamitate, qua opprimuntur
per Ægyptios, atque advehere in regionem longe
omnium feracissimam. Ubi te audierint, (au-
dient enim) adibis tu una cum senioribus Regem
Ægypti, quem admonebitis nomine Dei Hebræo-
rum, ut finat vos procedere iter tridui per deser-
ta, vestroque Deo sacrificare. Nec vero me latet,
non permisurum, nisi vi coactum. Quare affli-
ctabo Ægyptum miris modis, ut tandem amittat
vos libens. Quin etiam ne abeatis vacui, d) po-

C 5

nam

b) Pii sunt sibi consciï infirmitatis suæ.

c) Jova Hebraicum Dei nomen ductum est a futuro
verbi, qnod significat esse.d) Deus suis etiam inimicorum benevolentiam con-
ciliat.

42 DIALOG. SACRORUM

nam populum in gratiam cum Ægyptiis, perficiamque, ut mulieres egressuræ exorent vicinas & hospites vasa aurea & argentea, & vestem: quæ deinde imposita vestris liberis exportabitis, atque ita compilabis Ægyptum. *M.* At enim non habebunt fidem dictis meis, negabuntque visum mihi Jovam. *I.* Quid istud est, quod tenes in manu? *M.* Virga est. *I.* Abjice humi: Quid nunc, quid est? *M.* Perii, serpens est. *I.* Ne fuge, sed prehende manu caudam ejus. Vides rursum virgam factam: ut credant tibi visum esse Joyam. Age, rursum immitte manum in sinum tuum: Educ: vides tam albam lepra, quam est nix? Nunc refer in sinum: Educ: vides sanam esse iterum, ut est cæterum corpus? Quod si primo signo non adducentur, ut fidem habeant tibi: at altero. Si ne duobus quidem prodigiis persuasum eis fuerit, sumes de aqua fluvii: quam ubi fuderis in terram, fiet sanguis. *M.* Quæso te Domine: neque antea eram disertus, neque nunc sum post tuum colloquium: Nam labore titubantia oris & tarditate linguae. *I.* e) Equis dedit surdum? quis videntem, aut cœcum. An non ego is sum? I modo: ego moderabor tuæ linguae, tibique suggeram, quid sis dicturus. *M.* Obfecro, mitte idoneum aliquem. *I.* Enimvero odiosus es. Est tibi frater Aaron Levita, is bene disertus est, scio: qui procedit tibi obviam, teque viso lætabitur animo. Ei tu præbis verbis, quod voles;

e) Quibus mandat aliquid Deus, iis dat vires ad illud execendum.



voles; ego vero moderabor tuo ori et ejus; præmonstraboque, quid sit vobis faciendum. Ipse alloquetur populum pro te, eritque tibi pro ore, tu ei pro Deo. Feres etiam manu istam virgam, qua edes portenta. Abi sane.

SENTENTIA.

Deus voce balborum dejicit hostes suos. Debet eloquentia servire pietati.

VITVLVS. Exodi 32.

ARGUMENTVM.

Moses pacat Jovam iratam Israelitis ob aureum vitulum, ipse poenas illis irrogat,

Jova, Moses, Josua, Aaron. Levitæ.

Abi, descende. Jam enim depravati sunt populares tui, quos eduxisti ex Ægypto. Deflexerunt cito de via, quam docueram: duxeruntque sibi ex auro vitulum, quem adorant, cui sacrificant: dicuntque Deum esse, a quo sint educiti ex Ægypto. Video sane populum esse intractabilem, & refractarium. Quamobrem sine me ut irascer, conficiamque eos, deducamque ex te gentem magnum. *M. a)* Cur exardeas ira in tuos, quos eduxisti ex Ægypto magna vi, manuque valida? *b)* an ut jacent Ægyptii, educatos a te malitiose, ut deleres eos in montibus ad internecionem, prorsus tolleres e medio? Quin omitte istam tuam iracundiam: atque ita ut decet, remitte

a) Pii orant pro sacerdotibus.

b) Vult Deus etiam apud alienos, non male audire.

